



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri
edita

Heislinger, Anton

Ingolstadij, 1726

Casus XIV. De pretio mercis ab intermedio emptore partialiter retento.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40177

CASUS XIV.

De pretio mercis ab intermedio emptore partialiter retento,

Commissarius, vel alius quidam officialis bellicus, iussus emere pannum pro vestiendis de novo suis decem, vel adhuc pluribus militibus, tabernam, in qua pannus vendebatur, ingreditur, & ubi eidem aptus à mercatore ostensus fuerat, quantò pretiò singulas ulnas distraheret, interrogat. Reponit mercator, pro qualibet se expetere tres florenos. Subjungit commissarius paratum se esse ad solvendo duos florenos cum dimidio pro singulis ulnis; empturum etiam mille ulnas; interea tamen se velle, ut mercator in apocha, quæ pretium emptæ mercis exhibebit, testetur, pro singulis à se expensos fuisse tres integros florenos, hæc conditio cum & mercatori placeret, perfectus fuit contractus, & excessus pretij à commissario, tanquam fructus suæ industriæ, aut liberale mercatoris donum, retentus.

Q. Utrum intermedius iste emptor hunc excessum bona conscientia retinere potuerit?

SYNOPSIS.

§. I.

Prænotanda.

1. Pretium rerum aliud est summum, aliud medium, aliud infimum.
2. Res per mutas venditiones distrahuntur carius.
3. De justo pretio non nihil retinere potest mercator in gratiam intermedij, aut veri emptoris.
4. Ex.

7. Expensum pro panno pretium ad milites spectasse ponitur. ta, aut nulla determinata civitas, in qua pannum emeret, assignari potuit.

5. Emptori intermedio, vel cer-

§. II.

Resolvitur Quæsitum.

Utrum intermedius iste emptor hunc excessum bona conscientia retinere poterit?

- 6. Non potuit, si apud aliquem minore pretio comparaverit, licet apud alios ejusdem loci mercatores debuisset carius emere.
- 7. Si in loco eidem assignato, hoc minore pretio pannum emere non valens, alium longè distantem adiit, & hoc illum pretio comparavit, excessum sibi applicare potest.
- 8. Illicite tamen sibi applicavit, si justum & summum pretium duos florenos cum dimidio tantum conficiebat.
- 9. Etiam si aliquo modo ipsi milites pro pretio tres florenos designaverint.
- 10. Nisi emptori intermedio excessum expresse remiserint, si minore pretio pannum, quàm tribus florenis comparaverit.
- 11. Aut etiam tacite.
- 12. Quandonam hic tacitus consensus sit præsumendus?
- 13. Quid respectu offerentium ultra sua obsequia in hoc puncto sit sentiendum?
- 14. Nec potuit Commissarius rem, antea viliori pretio pro se emptam, cariore postea militibus distrabere.
- 15. Aut excessum ut donationem liberalem mercatoris accipere.
- 16. Cum in dubio possidentium militum conditio sit melior.
- 17. Et pecunias alienas donare mercator nequeat.

§. I.

Prænotanda.

¶ Primò adverte, pretium aliud esse summum, aliud medium, aliud infimum: insuper mercatores communiter prima vice ne-

Bb 2

qua-

quaquam iustum pretium, sed semper iusto majus interrogantibus valorem mercium indicare; petunt scilicet iniustum, ut obtineant id, quod est iustum.

2. Adverto secundò, merces, si in magna quantitate emantur, minori pretio vendi solere, quàm si minutim, seu per modicas partes emantur. Ratio est, quia crebræ, & minutas per partes factæ venditiones plus laboris, & expensarum, minisque utilitatis venditori afferunt, quàm una, vel altera venditio, queis magna, aliàs minutim distrahenda, quantitas distrahitur, ita sentiunt Sylvest. *V. emptio q. 20.* Medina *de reb. q. 31.* Rebellus *p. 2. lib. 9. q. 1. num. 36.* Lugo *disp. 26. num. 44.*

3. Adverto tertio, mercatorem posse in ipsius intermediij emptoris gratiam aliquid remittere de pretio iusto, & hanc remissam partem eidem donatam relinque-

re, ut compenset, quòd suam tabernam relictis cæteris adire voluerit, aut ut etiam eundem alliciat ad plures impostum ab eo ipso emptiones faciendas. Quod autem modò diximus in gratiam intermediij emptoris fieri posse, id ipsum beneficium etiam vero emptori exhiberi, & de pretio iusto aliquid remitti ex iisdem causis poterit.

Adverto quarto, expensum pro panno pretium spectasse ad ipsos milites, collectum scilicet ex iis, quæ in singulos menses ex ordinario illorum salario detrahuntur, ad procurandas illis suo tempore necessarias vestes applicanda.

Adverto quinto, intermediò huic emptori, vel certam civitatem, in qua pannum emeret, assignatam fuisse, vel nullam determinatam, relinquendo illius libertatis voluntati electionem loci, quem voluerit.

S. II.

Resolvitur Quæstio.

Num emptor noster intermedius, seu commissarius poterit hoc lucrum pro se retinere?

6. **D**ico 1. Si intermedius hic emptor, seu Commissarius apud quosdam ejusdem civitatis mercatores hujusmodi panni ultimam non poterat minore, quàm trium florenorum pretio comparare; ipse autem quæsit in eodem loco alium mercatorem, qui unam illi vendidit duobus florenis cum dimidio, non poterit ille

intermedius emptor sibi retinere excessum illum, quo talem pannum debuisset apud alios carius emere. Ita cum alijs Molina de Jure & Justitia tract. 2. disp. 363. Prob. si hoc incrementum potuisset retinere, ratio foret, quia esset lucrum industriæ ab intermedio nostro emptore ultra suam obligationem adhibitæ: sed hoc est falsum. Prob. min. commissarius, seu intermedius hic emptor ad hanc industriam adhibendam erat rogatus à militibus; vel illam adhibere jussus à Principe, vel ratione sui officij obligatus: ergo &c. Prob. ant. tum milites, tum Princeps, aut illius officium exigebant, ut minimo, quo fieri poterat, pretio compararetur pannus. Prob. 2. in tali casu agebatur negotium Principis, vel militum: ergo lucrum hoc spectabat ad Principem, vel ad milites. Prob. conf. si nullum invenisset mercatorem, qui solis tribus florenis ulnam hujus panni distraheret, sed in singulas expetisset quatuor; hoc aucti pretij detrimentum nequaquam hic intermedius emptor, se commissarius supplevisset, sed hoc militibus, aut Principi ferendum fuisset: ergo etiam minoris pretij lucrum militibus, aut Principi accrescet, non autem intermedio emptori.

Confirm. eo ipso, quod commissarius negotium emendi pro militibus pannum in se suscepit,

tacite promiserat, se per moralem diligentiam istorum militum rem utiliter gesturum, ac empturum, quanti minoris poterit; non secus, ac si horum militum famulus, ac mercede ab illis conductus esset: ergo illius pretij excessum, non videtur posse retinere.

Dico 2. Intermedium nostrum emptorem retinere sibi hoc incrementum potuisse, si postquam moralem diligentiam in loco ad emendum illi assignato adhibuerat, ulnam panni non nisi tribus florenis, tanquam infimo pretio comparare potuit; ipse verò accessit alium valde distantem locum, & ibi ulnam panni æqualis bonitatis duobus florenis cum dimidio comparavit: ita Molina loco cit. Prob. hoc incrementum non est lucrum industriæ debitæ, & quam ut adhiberet, à militibus rogatus, aut obligatus fuerat: ergo &c. ant. constat, quia ponitur jussus in determinato loco comparare pannum: ergo si in assignato loco non potuit ulnam panni determinato illo pretio comparare, ipse autem accessit ad locum valde distantem, lucrum illius extraordinariæ, atque indebitæ industriæ erit adscribendum.

Dico 3. Si justum & summum pretium cujuslibet ulnæ non superabat duos florenos cum dimidio, Commissarius non potuit à militibus in singulas ulnas expe-

tere tres florenos, & triginta crucigeros ex qualibet ulna sibi appropriare. Prob. excessus ille triginta crucigerorum non spectabat ad mercatorem, sed ad milites: ergo non potuit illos mercator Commissarius donare tanquam compensationem empti à se panni. Prob. ant. ille excessus triginta crucigerorum erat supra justum pretium, & quidem summum, ad quod solum mercator jus quoddam habebat: ergo spectabat ad milites, qui tantum debebant justum pro singulis ulnis pretium persolvere.

9 Dico 4. Licet à militibus intermedius emptor iustus fuerit singulas ulnas emere tribus florenis; emptor autem absque singulari, & extraordinaria industria quamlibet ulnam comparaverit duobus florenis cum dimidio; excessum tamen, medium scilicet ex singulis ulnis florenum, retinere pro se Commissarius nequaquam potuit. Prob. neque ex titulo donationis, neque ex titulo proprietatis, neque ex titulo mercedis pro illo labore, illum excessum retinere potest: ergo &c. Prob. primum membrum ant. milites non determinarunt pretium trium florenorum, quasi vellent contenti esse, modò non plus expenderetur, residuum autem, si forsan minore pretio pannus comparari posset, donare suo intermedio emptori: ergo. Prob. ant. tali taxatione pretij ordinariè

solum innuitur, ut non majores emanent, non autem, quòd Dominus non desideret residuum, si minori pretio res acquiri valeant: ergo &c. Prob. nunc etiam secundum membrum, concessa ad emendum pecuniz semper manent in proprietate militum, ut quædam in mercatorem pro reddito panno translata fuerint: ergo cum residuum, & excessus non fuerint in mercatorem translati, manebit hic excessus in proprietate militum: ergo non poterit illum intermedius emptor retinere ratione proprietatis. Prob. etiam tertium, quòd scilicet neque ex titulo mercedis: intermedius iste emptor tanquam Commissarius, vel officialis bellicus, aut gratis in se hunc laborem recepit, vel ex suo officio ad hoc fuit obligatus, vel certa merces eidem jam fuit constituta: ergo hic titulus non subsistit. Confirm. quænam merces huic intermedio emptori debeatur, ex aliorum judicio, & non ex ipsius arbitrio erit definiendum: ergo pretij expensi residuum militibus tanquam Dominis erat restituendum, & compensatio ab illis expectanda, præsertim cum excessus retentus possit promeritam mercedem multum excedere.

Dico 5. Si milites tanquam veri Domini pro singulis ulnis taxarunt tres florenos, atque expressè remiserunt intermedio emptori, quòd remanserit, si illas mi-

noris emere posset, licitè illum excessum retinere sibi potuit. Prob. in hoc casu dominium remanentis excessus translatum fuit in ipsum emptorem intermedium. Excipitur tamen casus, quo veri emptores milites in assignandis tribus florenis in singulas ulnas fuissent decepti, eò quòd hoc pretium sit iusto majus. Ratio est, quòd errantis nullus sit consensus.

- ¶ 1 Dico 6. Idem tenendum erit, si tacitus militum consensus accesserit: ratio est, quòd taciti, & expressi par sit virtus: *vi legis §. cum quid mutuum; ff. si certum petatur.*
- ¶ 2 Licet autem hæc certa sint, incertum tamen, ac valde dubium manet, quandonam hic tacitus consensus intercessisse, præsumendus sit? præsumptioni huic locum non esse, docent communis Doctores, quando negotium rem tanti emendi traditum fuit famulo, vel alteri pretio ad hoc munus deputato, aut ex vi sui officij ad similia obligato: unde Grassus, Petrus Ledesma, Conrado, Navarrus, Salas, Lugo, Palaò docent, pactum tacitum de retinendo excessu fuisse ininitum, si designato pretio nullum stipendium intermedio emptori constitutum fuerit. Cum ergo famulis, aut alijs ex officio suo ad id deputatis suum stipendium jam sit constitutum, cum istis tacitus talis consensus non fuit ininitus; idem

videtur locum habere in amico, qui ratione suæ amicitiae ad hoc obsequium alicui præstandum se ultro obtulerat.

Quia autem sæpiùs contingit, ut aliqui non rogati suam operam alijs offerant, & gratis hoc munus se exhibituros promittant, eritne his etiam licitum retinere sibi excessum, quando minore, quàm designato pretio rem desideratam aliorum nomine comparaverit? Qui negant hanc facultatem, pro ratione afferunt, quòd Dominus non consentiat in donationem excessus supra designatum pretium, quia intermedius emptor promiserat, se gratis hoc obsequium esse præstiturum tanquam beneficium. Secundo quòd forsitan alio quodam intermedio emptore, qui gratis, vel solertius hoc officio functurus esset, non autem isto uti vellet, si sciret huic quoddam stipendium persolvendum esse. Tertio, Dominus mandans putat se ab intermedio emptore tanquam gratis inserviente aliquod beneficium accipere, & consequenter ex gratitudine ad illud compensandum se obligatum fatetur, aut novis alijs obsequijs demereri studebit: est autem injustum, ut intermedius emptor utraque hac compensatione fruatur, ita Molina *de contract. disp. 363.* Contrarij in hoc puncto Molinae sunt Fagundes apud Tamburinum, *Sporer tract. 6. in Decalog, cap. 5. n. 41.*

assc-

asserunt isti talem gratis suam operam offerentem, si excessum retineat, mendacem duntaxat futurum, non autem injustum; eò quòd nemo gratis alteri servire debeat, & obligatio gratitudinis sit oppidò incerta consequenter compensationem præstiti laboris fervienti non prohibeat. Responderi tamen poterit ad hanc rationem; verum quidem esse, quòd nemo absolutè gratis teneatur alteri aliquam operam præstare: quòd si autem istam gratuitam operam alteri præstare promiserit, ad hoc videtur esse obligatus, nò dicere velis, promittentem alteri donare aliquid, posse facta traditione rei promissæ pro hac quidpiam sibi tacitè appropriare, quia nemo debet rem suam alteri donare: ejusmodi ergo personæ Dominos istos decipiunt; cùm isti per suos gratis tales emptiones procurassent vel magis industrios elegissent: unde aliqui, ut talis consensus tacitus ipsorum Dominorum præsumi possit, licet gratis suam operam ad emendum vel vendendum obtulerint. Ulteriùs exigunt cum Tamburino in *Decalog. lib. 8. cap. 7. tract. 3. §. 9. n. 6.* ut nullus alius, qui etiam gratis suam operam exhiberet, à Domino inveniri, aut hic facillè advertere potuerit promissionem hanc gratuitam merè mendacem esse; vel ob paupertatem sua obsequia offerentis, vel ob impensi laboris magnitudinem,

vel ob officium, quod actu talis promissor gerit, in quantum iste ex similibus servijs se sustentare est solitus.

Dico 7. Neque retineri hic excessus à Commissario poterit ex eo, quòd ipse primùm pro se, ac suo nomine hanc quantitatem panni emerit illo minore pretio, postea verò hunc ipsum primum militibus vendiderit pretio illo majore, trium scilicet florenorum in singulas ulnas computatorum, prob. licentia ejusmodi praxos innumeris fraudibus januam & occasionem panderet; quilibet enim alieno nomine rem emere jussus, infimo, quo posset pretio hunc comparare pro se conaretur, postmodum verò majore distraheret eam ipsam alteri, cujus nomine ab initio jussus fuerat illam emere. Prob. 2. juxta dicta hic Commissarius vi hujus suscepti in se muneris erat obligatus ad omnem ordinariam & consuetam diligentiam inpendendam, ut bonum, & pretio, quo fieri poterat infimo pannum pro militibus compararet: ergo cùm videret, tum ab hoc, tum ab alio mercatore posse ulnas singulas hujus panni comparari duobus florenis cum dimidio, non poterat quilibet ulnam vendere militibus curius, aliud dicendum esset, si hunc pannum ad suum usum comparasset, & postea alium vel apud hunc vel ceteros mercatores pro militibus inquirens nullum nisi pretio trium flo-

florenorum in singulas ulnas computato potuisset comparare; tunc enim eidem licitum fuisset in suos usus antea comparatum levioribus sumptibus pannum, majore, tunc tamen currente, pretio militibus distrahere. Prob. 3. si pro se verè ac non fictè tantam quantitatem panni emerat, etiam illius periculum debuit in se suscipere, & si quod damnum eveniret, etiam ipsemet luere, ac si postea decrevisset pretium etiam ultra duos florenos & dimidium pro singulis ulnis, non potuisset à militibus exigere taxam, qua singulas ulnas emerat: atqui in hæc non consenserat Commissarius: ergo tantum fictè pro se emerat.

15 Dico 8. Neque potest hunc excessum retinere tanquam donum quoddam à mercatore eidem factum in compensationem, quod ad ipsum potius quàm ad alios mercatores ad emendum accesserit, vel ut cum alliceret ad similia ex ipsius taberna impostum emenda. prob. ut ex hoc Titulo retinendi jus habeat, debet eidem esse certum, quòd tres floreni fuerint justum, & non justò majus pretium, pro singulis ulnis: item quòd fuerit infimum non medium aut summum: vi enim suæ in se susceptæ obligationis debuit pretio, quo potuit minimo pannum comparare: atqui hoc non solum non fuit eidem certum, sed contrarium probabilius; quia primum

statim à mercatore propositum pretium omiſſa omni licitatione acceptaverat, cum tamen conslet, mercatores, ut obtineant justum, semper ab initio expetere injustum.

Accedit, uti in prænotandis insinuavimus, quòd merces in magna quantitate emptæ minori pretio vendantur: cum ergo mercator ignoraverit, tantam quantitatem panni, qui ducentis, aut pluribus adhuc militibus vestendis sufficerent, vendendam esse, ideo pretium ab initio statim propositum, licet fuisset justum, si aliquot v. g. decem vel quindecim ulnæ acciperentur; justo tamen majus fuerat respectu tantæ quantitatis eodem actu distractæ. Secundò: debuisset adire etiam reliquos mercatores, & quo ab istis similis bonitatis panni distrahan- tur, inquirere, ut in notitiam veri pretij veniret, accidit itaque huic Commissario, quod sæpiſſimè factoribus in simili occasione contingit, scilicet propter hoc lucrum non egit fideliter negotium suorum militum, quibus pannum hunc emerat; sed plus pretij statim condixit, atque persolvit, quàm quod dedisset, si pannum hunc pro se emisſet. potuisset absque dubio apud alios mercatores ulnam panni minore pretio comparare, potuisset ac debuisset plus apud istum mercatorem insistere, ut merx ista emeretur vilius, ut igitur hoc lucrum aquireret, & adire ceteros

Cc

mer-

mercatores, & plus apud istum insistere omisit, infidelitatis in milites commissæ reus; & hinc ad excessum hunc injustè obtentum condemnandus.

¶ 6 Cùm igitur milites sint in possessione suæ pecuniæ, ex altera verò parte dubium, imò probabilius sit, quòd mercator ex suo hanc donationem non fecerit, restituendus hinc totus excessus pauperibus militibus erit, quorum ut possidentium melior est conditio; cùm isti perversi & Dominis, quorum negotium agitur,

summè noxij modi nequaquam tollerandi sint. ita Molina de J. p. tract. 2. Disp. 363. ad finem.

Dices, mercatorem bene ad vertisse, quòd sibi hunc excessum Commissarius donatum velit in compensationem gratiæ mercatori factæ, accedendo illius tabernam potius, quam aliorum: ergo in hoc consensit. ¶ mercatorem duntaxat poruisse aliquid remittere de justo ad se spectante pretio: probandum itaque, & certum debet esse, quòd propositum in mercatore pretium fuerit justum.

CASUS XV.

De venditione hordei virtute germinandi destituti.

CAjus, licèt optimè ab experientia sciret, hordeum suum ob corruptum punctum germinans virtute germinandi destitutum esse; plures tamen illius scaphas cuidam praxatori, seu coctori cerevisiæ, vendit pretio corrente, quin eundem de hoc defectu certiorum fecerit.

Q. 1. Num de ordinario pretio oblatens hoc vitium fuerit aliquid remittendum?

Q. 2. Num valida fuerit hæc venditio à defectu conscio venditore facta?

Q. 3. Num valida fuisset hæc emptio, si venditor hujus vitij ignarus extitisset?